verſari quem vt cum gaudio perficiam obſecro vt me apud ſupremum Choragum adiuuetis ſolicita inter- -68.
ceſſione. Ante annos plus minus triginta fretus aliqua luce pietatis quam mihi Ieſus Chriſtus in Euan-
gelio efficaciter oſtenderat. quantum potui renunciaui huic ſeculo. & pro meæ gratiæ ~~mee~~ modulo me to-
tum meq; Deo Patri Ieſu Chriſti ad ærumnas Scholaſticas hilariter ſacrificaui. Ea ſpe ſcilicet, vt
quantulacunq; luce me adhuc adoleſcentem imperitum rerum, eius ineſtimabilis bonitas colluſtrarat,
eadem in hoc vitæ genere quamlibet deſpecto et horrido facilius in quamplurimos transfunderetur. Atq;
hęc quidem ſpes. Domino per hos pueriles labores euidenter operante. neq; in Flandria olim ante fu-
gam, neq; deinde in exilio me omnino fruſtrata eſt. Reſtat vt nunc ~~nunc~~ (quum neq; ætas eſt eadem neq; par
ingenii mentisq; alacritas) eorum mihi vota ſuppetias veniant quibus firmioris ætatis vires omnes
impendi promouendis. In eo numero ſi te in primis eſſe non dubitas, intelligis non ſolum mea ſtudia
meas ærumnas, ſed hanc Scholam imo hanc totam Eccleſiam tuis tuæq; iſtius Eccleſiæ precibus ſo-
licite iuuandam eſſe. Neq; vero id obſtet vobis quod hic minus formoſam rerum faciem habemus.
Ex rituum diſſimilitudine hęc inoleuit deformitas quæ porro tam pertinaciter inueterauit vt neq; corrigi
neq; frangi poſſit. At tamen interea hic nisi (quod non eſt obſcurum) Eundem Deum Patrem D. noſtri Ie-
ſu Chriſti, vna vobiſcum anxie quærentes Doctrina et cultibus, fide & ſententia cum iſtis Sanctorum
cœtibus qui maiorem Doctrinæ vitæq; puritatem profitentur arctiſſime coniuncti ſumus. multoq; a-
deo nos minus pudet Cinglianos dici, quam eſſe gaudemus. Sed hęc alias tempeſtiuius. Ipſe pater
& Deus vnus qui nos eodem ſpiritu in vnum Corpus filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti per vnu
baptiſma conſecrauit. ſeruet nos incorruptos fide et conſcientia vſq; ad aduentum Seruatoris per
quem ad vnam omnes gloriam vocati ſumus. Amen. Vale. Bremæ. 15. calend. februarij. 1566.

Tui ſtudioſiſſimus Iohannes Molanus.

Nr. 129

Pax Chriſti — Nicolaus Goernig Marpurgi in morte Theodori Schnerringi Bremensis stud. qui post [illegible] est strangulatus / Ex [illegible]

Triſtius mihi nihil nunciatum eſt his annis triginta quam vitæ tragicus interitus
modeſtiſſimi adoleſcentis. o dolor. o fatum terribile et diuturno luctu proſequendum.
Quanę in libera ciuitate. et quidem in Academia? Theodore mi, dilecte mi quam
inauſpicato te ad illos Martis pullos contuliſti? heu miſerum quomodo adoleſcens tempe-
rantiſſimus et pius manus tollens DEO in noctem intempeſtam et in Cyclopum cruen-
tas manus incidiſti? equidem non fui auctor tibi vt iſthuc ires, ſed tamen lacrymans
bene precatus ſum iſthuc eunti, et multa in ventos vota profudi. Nunc te non
gulæ ſtudium ſorpſit, non riualis percuſſit, non ruina eliſit, non contagium abſtulit
ſed latro (vt audio) certe latro quiſquis fuit, et omni latrone crudelior viuum vale-
temq; ſtrangulauit. Non fuerat tuus exitus atrocior ſi te ſuis ipſe vngues Petri leo vnguibus
diſcerpſiſſet, tibiq; velut incuſtodito oui Diabolus obambulans gulam immediate pre-
ſſiſſet. Vos ego hic appello Cuſtodes Scholaſticæ Iuuentutis, Rectores, Profeſſores, Dominos
et Magiſtros. Vbi eſt Schnerringus diſcipulus veſtræ fidei mandatus? reddite paren-
tibus cariſſimum pignus, reddite Molano diſcipulum ſumma cum exſpectatione ~~[illegible]~~
iſthuc profectum, reddite huic Reipub. iam herbeſcens ornamentum. Quur oberrat dul-
ciſſimus cultor in vrbe Martia per forum, per quadriuia per angiportus, quin ſine
Cuſtode, ſine ſocijs, et quidem intempeſta et tenebroſa nocte? Vbi tunc fuit veſtra ri-
gens et paterna ſolicitudo, quæ tam precioſis animis debetur, vbi vigiliæ, vbi leges,
et ſcholaſtica diſciplina? Scio iſthic eſſe qui nolint teneri legibus, ſed hic adoleſcens
neq;

[= Mscr. a. 12: Nr. 66]

neque esset vagum neque immorigerus fuit, facile mediocri cura, cum usque adeo tota Urbe turbaretur, tam quietus Iuvenis aut in Musaeo suo aut in lectulo retineri potuisset. Nunc salute absumpta magnum scilicet hoc putat Poeta solatium quod incuriam vestram terra contexistis, at nihilo secius hunc sanguinem et hanc animam Deus de manu vestra requiret. Neque te juste Budaee meus castissimus dolor omni culpa liberat, cuius magis quam meo (ut scribitis) consilio nostri nitebantur. Quid frustra culpamus polos? qui perpetuis oculis in omni loco bonos et malos contemplantur? Quur immerita laborat Brema? At haec e seminario non magno, tam florentes plantulas neque natas infaeliciter, neque improbe educatas cum isthuc mitteret spe fructus uberioris, anxietatem quidem sibi non exuit. Custodiam tamen et corporis animique defensionem simul isthuc in vos transtulit, ubi siquid mutilatum est, aut cicatrices habet, aut strangulatum est, o dolor, non ea sunt huius nostrae urbis aut scholae sed illius vestrae civitatis et Academiae fata misera et severioribus legibus expianda. Sed quid in cassum querelas et fletus fundo, ille quidem horribili fato [illegible] interiit. Tu vero Nicolae ad quem Epistolium destinaveram tam diro exemplo coniunctissimi sodalis graviter consternatus te totum (ut arbitror) intra tuorum studiorum metas conclusisti nisi te ut plerosque totum Scholasticos huius temporis prodigiosus quidam et pudendus stupor occupavit.

D. 1560

Nr. 150)

D. Gerardo Mercatori. Duisburgi. Pax Christi.

[= Mannsen ... 12, Nr. 67]

Venerande vir & soter carissime nuper vicini tui filio ad te litteras dederam sed ubi comperi erronem esse ne quid inde mali existeret ab eodem repetiui. Interea neminem nacti sumus cui tuto aliquid litterarum committeretur. Valemus etiam nunc Dei magno beneficio pater & mater familias tum filius & contubernales. Hybernis mensibus difficultas annonae fuit, tolerabilis tamen pro ut est aliarum urbium angustia atque inopia. Dedit hactenus Dominus victui necessaria & porro daturum confido. Odia & iniurias multorum (in urbe distracta contrariis studiis) hoc etiam nomine graviora sustinemus quod nobis res sit cum civium filiis qui (ut est regionis ferocia) correctricem manum ferre non possunt. Emergimus tamen paulatim ex obstaculis et Deo iuvante incolumes hactenus servati sumus. Iacobi distractione creverunt animi adversariis. fidelis erat & in quovis loco paratus. Me scis in mea vocatione alacriter miserum esse quo fit ut non admodum crucier accessione calamitatum nec luxuriem earum detractione. Minantur nobis malum haec comitia sed minae sunt modo ne ad rem conferantur. Adversarii sperant sese in urbem redituros id si sit nos qui nuper in vacua venimus haud facile tueri poterimus ius nostrum. Sed non laboro. Iampridem ad utramvis fortunam aequum mihi animum Deo confirmante Imperavi. Utraque pars

Imperatori

magnifice citata est ab ipsius Maiestate. valde arrecti sunt omnium animi et ancipiti exspectatione suspensi. Ego huius Ecclesiae nomine & Scholae solicitus, quid alioquin eveniat susque deque fero. Scio interim hoc promeritam esse quorundam pertinaciam et furiosos conatus ut nunquam patriis commoditatibus fruantur. Sed haec valeant nolim enim nimis acer in alios & mihi suffensus esse. Tuae familiae ut aliquid turbae dederit Satan valde metuo. non enim ignoro quam ferox sibi immineat. Unicum praesidium est in innocentia et invocatione eius cuius voluntate affligimur ut tanquam vivi lapides ad illud sacrum & spirituale aedificium praeparemur cuius Christus est fundamentum. Antequam tuas postremas accepissem erat scriptum ex Antverpia te exemptum malis in coelum transvolasse. gratias ago patri nostro coelesti quem omnis boni

fontem